

RECITATIONVM
IN ACADEMIA GISSENSI



A
SINGVLIS

OMNIVM ORDINVM
PROFESSORIBVS
SEMESTRI HIBERNO

A. R. S. CIOIDCCCLXXI.

DIE XIV. OCTOBR. INCHOANDARVM

T A B V L A.



GISSAE,

APVD IOANNEM IACOBVM BRAVN, ACAD. TYPOGR.

RECITATIONES HIBERNAS

INDICTVRVS

RECTOR ACADEMIAE

CVM SENATV.

Varias variarum scientiarum scholas Vobis aperturis, commilitones aestumatissimi, pauca quaedam de *Polymathia* praefari liber. Alii eruditionem amplam multisque literis instructam in diuitiis ponunt parum fructuosas, & vel mediocrem artis, cui se deuotos profitentur, notitiam ad quaestus faciendos muneraque administranda aequae conducere gloriantur. Alii eam, quam quisque sibi tractandam proposuerit, doctrinam, plene ac perfecte comprehendere posse, atque tenere statuunt, etiam si caeteras omnes non curent; quid? quod eo facilius esse, in singulis excellere contendunt, quo minorem operam vniuersis impendas. Quid contra hos dicam, qui omne Polymathiae studium spernunt atque irrident, propterea quod sine illa & victum reperire & honores capeffere hac tempestate liceat? Quam vere id iactitent, ipsi viderint. Nam, qui non ea, quae Polymathiae insita est, praestantia capiuntur, hos, putidum esset, auri & argenti inanumque honorum spe allicere velle & commouere. Quid dicamus tam sordidis & ignauis, qui nihil, quod altum est, & a suauis corporis motu diuersum, sentire, suspicari & contemplari possunt? Nos quidem miseret horum, quorum mentis & ingenii angustiae amplitudinem plurimum artium & pulchritudinem, quod non capiunt, contemnunt. Nihil sane immortalis hominis animo indignius excogitari potest, quam ita sentire, ut nullius rei, quam quae ad famem & sitim depellendam pertineat, curam geras, omniaque vel ad voluptates turpissimas referas vel lucro termines & mercede. Quod si ista cogitandi ratio valeret, omnis sane liberalis & ingenuo homine digna doctrina cito ex ciuitatibus exularet! Beati vos, carissimi, quibus elegantissimarum litterarum aequae ac doctrinarum grauiorum dapes atque alimenta offeruntur, quosque tactio eorum nunquam capi posse confidimus!

Institutiones Theologicae.

D. IO. HERMANNVS BENNER

Ad instantem palaestram hiemalem offert: *publicas* lectiones, *isagogen* in historiam librorum symbolicorum, ductu RECHENBERGIANO suppeditaturas. *Privatim*, *Soteriologiam*, dogmatum sacrorum praecipuam patrem, ad filium compendii sui tradet, *exegefin* locorum sacri codicis vbique daturus, non omissa errorum discussione. *Theologiam actiuam* addet, ea methodo quam exhibuit suo in compendio. Ab hora IX. antemeridiana vsque ad XII. his laboribus vacabit: *Disputationum* publicarum materiam praebere paratissimus.

D. IO. GEORGIUS BECHTOLD,

h. a. Decanus.

Suas in *Theologiam dogmatico-polemicam*, libros *symbolicos ecclesiae nostrae*, & *Iurisprudentiam* V. praelectiones ad finem perduxit. Easdem lectiones incunte semestri hiberno de integro ordietur, & quidem 1) hora II. diebus Mercurii & Saturni libros *symbolicos* publice interpretabitur. 2) hora VIII. singulis sex per hebdomadam diebus in ven. Gunneri institutiones *theologiae dogmatico-polemicae* commentabitur. 3) hora X. diebus Lunae, Martis, Iouis & Veneris illustris Dariesii *iurisprudentiam universalem* praelegeret. 4) eadem hora X. diebus Mercurii & Saturni *praecepta homiletica* seu, si auditoribus ita videbitur, *hermeneutica* tradet. Suas quoque in *Philosophiam* aequae, ac *Theologiam moralem* lectiones offert, neque iis deest, qui siue publice siue privatim disputando, ingenii sui periclitari vires volunt.

D. CAROL. FRIDERIC. BAHRDT.

Per semestre hybernium diebus Lunae, Martis, Iouis ac Veneris hora pomeridiana secunda *Historiam ecclesiasticam recentiore* enarrabit. tertia vero lectiones *cursorias in Noui Testamenti libros omnes* instituet. Praeterea diebus Mercurii & Saturni hora secunda *grammaticam hebraicam*, quam ipse edidit, explicabit, ac tertia scholas *homiletico-practicas* aperiet. Denique



nique si qui sint, qui *Philologiae & Criticae sacrae partem theoreticam* perdiscere cupiant; eorum votis quavis hora lubentissime satisfacet.

Recitationes Iuridicae.

D. IO. CHRISTOPHORVS KOCH

Publice ius publicum hassiacum ad proprias theses; priuatim, Institutiones iuris priuati duce HEINECCIO hor. XI -- XII.; Pandectas ad compendium I. H. BOEHMERI hor. IX. -- X. & II -- III. Ius canonicum ad principia G. L. BOEHMERI hor. X -- XI. ius criminale ad institutiones suas hor. III -- IV. docebit.

D. CHRISTIANVS HARTMANNVS SAMVEL GATZERT.

Publice alternis diebus hor. III -- IV. in tradenda *Theoria Processus & Collegio Practico* verfabitur. *Priuatum* in locum *Iuris Feudalis* hor. X -- XI. ex more suo substituet *Ius Germanicum priuatum* ad *Elementa Selchouiana*; hor. XI -- XII. *Ius Publicum* R. G. ad Schmaussii libellum docebit, ad *Collegium disputatorium* etiam atque *historiam Imp.* denuo enarrandam paratus.

LYDOVICVS IVLIVS FRIDERICVS HOEPFNER

Publice hora IX -- X. examina ex pandectis instituet; priuatim hora X -- XI. *historiam iuris*, quod per germaniam obtinet, ex compendio SELCHOVIANO; hora XI -- XII. institutiones iuris romani duce HEINECCIO; hora II -- III. ius romanorum anteiustinianum secundum proprias theses, & hora III -- IV. *historiam iuris literariam* praeunte EISENHARDO tradet.

Praelectiones Medicae.

D. IO. WILHELMVS BAVMER,

Med. Prof. primar.

Hor. IX. *Politian medicam*, tamquam priorem medicinae legalis partem, ad propria sua praecepta publice tradet. Hor. X. In A. C. CELSI de *Medicina* libros IV. priores priuatim commentabitur. Hor. XI. *Doctrinam pathologico-therapeuticam* de febribus, ad ductum b. m. Dn. Prof. IO. ZACH. PLATNERI in arte medendi singulis morbis, priuatim explicabit. Horas pomeridianas dierum ☾ & ♀ processibus chymicis impendet.

D. GEORG. LYDOVICVS ALEFELD

Publice hor. XI. *mat. Osteologiam* de nouo tradet, priuatim vero hor. II. *pom. Splanch-nologiam* & hor. III. *Chirurgiam* docebit. Cum quoque nouis legibus commodis nostris prospectum sit, ita, vt plura, quam hucusque, demortuorum corpora theatro nostro anatomico destinata sint; non solum dissectionibus anatomicis sedulo incumbet, sed &, quomodo operationes chirurgicae instituendae sint, in cadaueribus monstrabit.

D. FRIDERICVS AVGVSTVS CARTHEVSER,

Med. Prof. Ord.

Per semestre hybernum hor. IX. *Elementa Pharmaciae*, duce Cel. RETZIO, tradet, & in praelectionibus hisce non solum dogmata & regulas artis, verum etiam selectiores atque in praxi vriliores medicamentorum compositorum formulas exponet. Hor. XI. bis de hebdomade *Mineralia*, quae in re medica & chirurgica adhibentur, enarrabit atque de virtutibus illorum differet.



Acroases Philosophicae.

ERNESTVS THOM,

Prof. philos. pract.

Wolffii ius naturae & gentium hora IX. publice interpretabitur; hora vero VIII. Thümmigii philosophiam moralem, hora I. Dithmari institutiones disciplinarum oeconomiarum, vel, si malunt auditores, Beckmanni praecepta de rebus rusticis, denique hora III. politicam explicabit.

ANDREAS BOEHM,

Log. Metaph. & Mathem. P. P. O. Bibliothecae acad. praefectus.

Hora VIII. matutina diebus lunae, martis, iouis & veneris logicam, & eadem hora diebus mercurii & saturni vt & singulis diebus h. I. *metaphysicam*, h. IV. *metaphysicam* siue puram siue applicatam, tempore denique auditoribus commodo *Ius naturae* trader, iis, qui *astronomicis* vel *algebraicis* studiis incumbere cupiunt, opera sua non defuturus. Bibliothecam publicam diebus mercurii & saturni aperiet.

D. FRIDERICVS AVGVSTVS
CARTHEVSE,

Physic. Prof. Ord.

Publice hor. X. diebus Mercurii & Saturni Historiam naturalem generalem insectorum proponet. Priuatim hor. VIII. Physicam dogmaticam explicabit, & interdum quoque experimenta physica instituet.

IO. CHRISTOPH. FRIDERICVS
SCHVLZ

LL. Orient. & Graec. I. I. O.

Publice argumenta, quibus religionis Christianae veritas contra recentissimos aduersarios, Humium inprimis, Bolingbrookium, Shaftsburyum, Montesquieum ac Voltaireum defenditur, proponet h. IX -- X. eademque hora *Regnorum Europae Septentrionalium Statistica* praeleget. Priuatim vniuersi Vet. Testam. exegesi, intra triennium absolendam, a Moysi inde libris incipiet h. X -- XI. Ex Nou. Testam. *Lucae* ac *Iohannis* Euang. interpretabitur h. II III. --- Vniuersam Politicam doctrinam, h. e. ea, quae ad constitutionem & administrationem reip. tam externam, quam internam, pertinent, addita *Oeconomia publica* & re *Camerali*, trader, filium Achenwallianae Staatsklugheit nach ihren ersten Grundsätzen sequuturus h. VIII -- IX. Priuatissime anglicanam linguam, iussu Indulgentissimi Principis speciali, docebit, hora Auditoribus maxime commoda.

D. CHRISTIAN. HENRIC. SCHMID,

I. V. D. Art. lib. Mag. Pöeseos & Eloquentiae P. P. O.

H. IX -- X. Notitiam scriptorum, qui soluta oratione inclaruere, criticam publice trader. H. XI. Rhetorices praecepta duce ERNESTIO enarrabit, simul iis, qui *Encyclopaediam iuris*, *Historiam iuris Romani*, *Historiam litterariam iurisprudentiae*, *Ius Publicum Vniuersale* addiscere cupiunt, operam suam offert.

M. ERIC. CHRIST. KLEVESAHL,

P. P. P.

Vt officio clementissime sibi demandato satisfaciatur, hora IV. pom. *Encyclopaediam philosophicam* s. praelectiones isagogicas inchoabit, sed ita vt singulatim *Ius Naturae & Gentium* perill. DARIO duce Hora VIII. antem. pertractet. Hora X. docebit historiam vniuersalem & publice Hora I. notitiam graecae linguae scriptorum, eorumque in lectionem rite instituendam introductionem trader. In iis quoque artibus, quae ad humanitatem pertinent, earum cupidos instruet, & priuatissimis collegiis auditorum suorum studiis minime deerit.

Praeter ista Generosissimis Nobilissimisque Ciuibus de luculenta equestrandi, pugnandi gladio, saltantique palaestra, Gallicae item & Italicae linguae scholis, per magistros earum peritissimos, publice constitutos, abunde prospectum est.